22
112

DE S. IVONE

PAVPERVM PATRONO

ORATIO

HABITA

34-6-E-7-

IN EIVSDEM TEMPLO

AD EMIN. S.R.E. CARDINALES

A IACOBO FRANC. TASSORELLO
Genuenſi Sem. Rom. Cler.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Romæ; Typis Ignatij de Lazaris. 1678.
Superiorum Permiſſu.

22

Digitized by Google

Digitized by Google

113

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI

ALDERANO CYBO

S. R. E. CARD. AMPLISS.

IACOBVS FRANC. TASSORELLVS

FELICITATEM.

ADEO Eminens dignitas Tua non abſterruit Orationem meam Magni nominis clipeum à primarijs Principum aulis ſibi refigere cupientem, vt inuitarit. Allicit enim Maieſtas, quam ſuperbia non intenderit, ſed comitas, & beneuolentia temperarit. Raro Principum Exemplo Terrarum Orbis curas MAXIMO ſolum minor amplecteris; perinde regalem animum non demitteres commodis priuatorum; & vi-

Digitized by Google

lis ità plebeculæ rationibus commodas animum, tamquam ad ſublimiora non aſſurgeres. Quod autem mirum ſit, tua in me, meumque Parentem quæ profectà fuere, beneficia, huius mei deſiderij nobiles impetus infringebant. Quid enim ingratus ex præteritis noua aucuper beneficia? Num parum deliquit ſemel ingratus? Num præſtat in eamdem culpam recidere, & ex culpa facere vitium? Dùm hæc animum diſtrahunt, illud occurrit, ingratos eos non haberi plerumque, quibus, vt grati ſint, poteſtas vna deſit, non pronus animus ad obſequium, & grati animi plena voluntas. Horum numero, precor, me etiam adijcias: hoc enim fiet, vt nec ingratus videar, nec ſplendidiſſimum Tuum Nomen Orationi meæ deneges, quæ, dùm ipſum præferet, non Vrbis, ſed generis humani beneuolentiam ſibi conciliabit.

ORA-

ORATIO.

NObilis ea fuit ambitio rerum peringentium, Eminentiſſimi Principes, vt prodigio aliquo ab ſuperis, antequam naſcerentur, exhibito, ſui quodammodo reuerentiam mortalibus incuterent, & timorem. Hinc plurimorum exortum, vel

Digitized by Google

Tellus improuiſa ſui concuſſione, velut impar oneri futuro, vel Cælum nouo ſidere, quo terras fætu nobilitandas liberaliùs illuſtraret, vel oblatum prægnanti genitrici ſimulacrum prænunciauit: Ea fortaſsè de cauſa, quod ingentia quæ ſunt, expectationem ſui facere volunt, ac deſiderium; nec in lucem temerè de grege cæterorum effuſa, ſed præcipua molitione Naturæ, fætui famam, honoremque iam tùm per ea portenta colligentis, volunt videri conflata. Hunc certè morem ſcimus in IVONE ſeruatum. Paritura quippe Parens Gigantem eius magnitudinis, quæ vel fabulas deceat, eniti ſibi viſa fuit in ſomnis. Vt prorſus inſolitas IVONIS Virtutes, & plùs Gigantæa mole proceras, quas ego breui laudatione proſequar, illa nos Gigantis celſitudo doceret.

Agite nunc, & excelſiſſimam hanc in IVONE vel puero Sanctitatem admiremini: non enim in conſtantiorem vel, quod turpius, in ſupremam ætatem diſtulit exercitamenta Virtutis. Annorum turpes reliquias, nec aptas ſceleri, nec aptas fore virtuti putauit. Feſtinantibus in ſuo curſu temporibus, & ipſe properauit ad gloriam,

Digitized by Google

 115

nec inter annorum præcipitia lentus fuit; Vel ipſæ penè naſcentis lacrimæ cenſui acceſſere Virtutis, qua ſola dignum ſe vel in ea ætate cognouit. Quis enim IVONE puero maturior? Quis in omnibus animi appetitionibus refrænandis atque ſtringendis eo diligentior? Illud argumento ſit, quod primam, & ſecundam ætatem præ cæteris aleæ plenam ſic tranſegit innoxius, vt eius numquam animum ab æſtu libidinum graue ſcelus afflarit. Hanc ne Virtutem in ipſo exortu Gantæam appellare dubitabimus? Nilum vbi primum Ægipto ſe prodit, latiſſimo alueo procurrentem in mare cùm admiratione nobilis vates alloquitur.

Nec licuit populis paruum te Nile Videre,
Amouitque ſinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quam noſſe tuos.

Ità Nilum ex errore laudauit Antiquitas. Aptior IVONI ſit iſthæc vel laudatio, vel interpretatio, quem in ipſa pueritia mole meritorum excelſum, & iam Gigantem, paruum videre licuit nemini. Hæc adoleſcentiam ingreſſo celſitudo Virtutum. Quam ſublimes, quam inſolitas eas fuiſſe putatis, quæ maturiorem eius ætatem illuſtrauere. Vnum præ cæteris omnibus; amorem in

Pauperes, ſpectandum vobis exhibeo. Vrbis deſertiſſimas domos, domorum verò vel ignota habitantibus latibula pauperibus quæritandis ſimul. & iuuandis adibat IVO, hoc etiam Sole maior & liberalior, quod hic quæri debet vt illuminet, quærebat ille, quos ſuo lumine locupletaret: Inuentos ità fouebat amplexibus, vt in eorum corpora, non ſuorum modò, ſed ſui liberalis animus abire velle videretur: Ità facili ſermone leuabat, vt etiam morituris ſenſum vicinæ mortis adimeret: Opibus ità iuuabat, perinde eius cenſum prouinciarum meſſis faceret, & tranſmarina fertilitas. Querelis abſtinete nunc quicumque, humanam auaritiam vel in maribus tranſmittendis, vel in pretioſis intrà fodinas periculis inuadendis cùm ſcelere generoſam carpitis, atque traducitis. Inuenimus qui pro auro donando laboraret magis, quam quiſpiam alius vt compararet, qui pauperes, quos opibus locupletaret quæreret diligẽtius, quam opes quibus locupletetur per naufragia quærat alius, & ſplendida metallorum latrocinia. Hunc autem amorem in pauperes numquam prætulit magis, quam cùm iuri dicendo fuit à Principe deſignatus.

Vi-

116

Viderat IVO numquam carere Patrono ſcelus opulentum, paupertatem, quam vſu viuendi, & moribus homines damnant, ipſis Iudicum damnari ſententijs, quorum trutina idem, qui pauper, improbus iudicabatur, obiurgatione naturæ. Vt igitur huiuſmodi peſtem à foro, & iudicijs abigeret, Iudices inter adlectus, quam qui maximè, pauperum incolumitati proſpiciendum ſibi putauit, tùm ſe iuſtum fore ratus, cùm animum & ſententias in pauperes inclinaret. Nimiùm enim quantùm odimus paupertatem, vel innocentem: quid tum, cùm ſceleſtorum criminationibus impetitam geminato dedecore per tribunalia reptare conſpicimus? Quare iuſtus ille eſt, qui iuſtus vt ſit, faciliorem ſe præferat in egenos. Iuſtiſſimus certe Iudex IVO, qui pœnam redimi numquam paſſus eſt auro, ne ſceleribus infame metallum tanti iudicis ſuffragio abſolueretur; quodque homines extrà iudicium ſæpiſſimè nocentes facit, in iudicio faceret innocentes. Nec eius oculos, quos auri ſplendor non perſtrinxit, illuſtris nobilitas hebetauit. Non id meritos nobiles parentes ſciebat, vt ſui nepotes degenerarent, quin hos duplicis culpæ reos

pu-

Digitized by Google

putabat, & læſæ per ſcelera Diuinitatis, & deformatæ per nouam ignominiam veteris nobilitatis. Potior igitur apud IVONEM, quam Diuitum fortuna, calamitas egenorum. His aditus ad eum facillimi, ne quem in ſuam domum paupertati patrius cenſus obſtruxerat aditum, ſua pauperibus obſtrueret inhumanitas. Hos alloqui perbenigne, vt quando Iudicem acturus eſſet in foro, domi prius Patrem ageret, & Patronum. Horum per ſe cauſas expendere, ne, dùm earum diſcuſſionem alteri committit, ſuo eas contemptu damnaret ante iudicium; eaſdem extricare celerrimè, ijs iudicibus mirum quantum infenſus, apud quos non ipſa ſolum iudicia, ſed ipſa venalis eſt in iudicando celeritas. Verum vt vt pauperes à criminatione vindices IVO, nunquam efficere poteris, vt omnes abſoluas. Benè eſſet, ſi vt eos pecunia, tua etiam probitate locupletares, nec tuo ſolùm bono, ſed publico pauperum innocens eſſes. Hoc autem qui poſſis? Aliorum laboribus pluribus parta quies, diſcriminibus non ſuis ſua pluribus ſecuritas facta eſt; Nullus autem probus, vt videri voluit, fuit, probitate non ſua. Sola enim Virtus à nullo patitur

ado-

Digitized by Google

adoptari. Quibus igitur artibus IVO, æquitate ſalua, parentem te liberalem, IVONEM te preferes in eos, quorum ſcelera, ſi te Parentem ſenſerint, ſentient iniquum. Faceſſant importuni admonitores, Gigantea nec diceretur, nec eſſet Virtus IVONIS, niſi admiranda præſtaret. Tantumdem pecuniæ Parens IVO numerabat furti reo, quantum reus ab IVONE Iudice reddere cogebatur. O nouam, & ante id tempus inuſitatam iudicandi rationem! Dùm cæteros damnat, ſibi pænam infligit, quique ſuam innocentiam ſceleris in partem vocare non poteſt, ſuam liberalitatem vocat in pænam. Iudicis perſonam, & maieſtatem cæteri non exuunt Iudices, vel dum abſoluunt: Amari ſimul cupiunt, & timeri, quod vt dignitatis, amor, ſic potentiæ, timor confeſſio eſt. Vel dum plectit IVO, ne timeatur ſolum, vult acceſſione beneficij ſimul amari, vult oſculà ſentiat qui verbera. Dum prius Iudicem damnando, poſtea munerando Patrem ſe præfert, vult, reus memoriam iudicis, recordatione Patris obliteret. Quis nunc ſuum vbique Virtuti locum neget? Dum pecuniam repetit, liberalem ſe prodit IVO, facilem ſe præbet, & inexora-

rabilem . In ipſa damnatione pauperis, paupertati vult eſſe conſultum, ne damnare videatur cum paupere paupertatem: Hic autem IVONIS amor in pauperes tùm maximum ſe probauit, cùm hi capitali ſupplicio damnandi nullum ipſi exercendæ clementiæ locum reliquiſſe viderentur. Numquam ne morti pauperes addixit IVO? Affirmare auſim profectò, quamuis non vnus ſupremum obierit eo iudicante ſupplicium: quem enim damnes inuitus, non ipſe damnes; quin tuus abſoluit amor, quē ſua ſcelera non abſoluunt: Legibus ille, quod damnetur, tibi debet, quod ab inuito damnetur; tibi quod amoris eſt, illis quod ſeueritatis. An inuitus ſolum damnauit IVO? Feralem ſententiam pronunciaturus dolet: ſuſpicatur, ac timet, ne gratiſſima Patris, & Patroni nomina deformentur interitu filiorum. Suſpiria ducit, & ingemit, veluti de ſua reponere velit animam morituro, ſuiſque gemitibus mortem flectere legum ipſarum fauore in pauperum exitium ſæuituram. Suis in calamitatibus æneus qui fuit, cereum ſe ſe exhibet alienis. Suam enim perſonam exuit quiſquis induit alienam; cumque humanus amor in

plu-

 118

plures diuidi vix poſſit, ſuo non tangatur bono neceſsè eſt, qui tangitur alieno. Nec oculorum adulatio fuit vberrimus fletus. Dubitatis? Sequamini lacrimantem. Aſpicite, vt cruenta ſui corporis laceratione, antequam de morte ſententiam ferat, Iudicem in ſe plectit amantiſſimus Parens. Vt mors damnato mitior accedat, vult, primos impetus in ſuum corpus effundat. Sic bona parens amarum medicati ſucci ſaporem explorat, antequam propinet infanti. Miſerentis quippe ſolatium eſt ſcire quantum miſereatur, & cuius miſeret, æſtimaſſe ſupplicium, ne aut lacrimas crudeliter auarus cohibeat æſtimatione minori, vel maiori muliebriter liberalis profundat, ac perdat. Quid hoc in IVONIS commendationem præclarius afferri poſſit? Hoc ego pluris æſtimarim, quam, quod propitiando ſibi Numini impranſus, & incænatus plures non rarò dies exegerit, quòd humi cubans, ſuppoſitoque capiti ſaxo, habere voluerit, quod doleret in ipſa vacatione dolorum quod pluribus alijs cruciatibus de ſuo corpore nullius culpæ reo pœnas ſumpſerit tamen, quod poſſet eſſe non innocens, quod, vt paucis abſoluam, vel graue corpus in-

ſu-

Digitized by Google

ſublime ferendum eſſet, vel reſtinguendus ignis, vel, aliò deriuanda flumina, vel in vitam cadauera reuocanda, vniuerſa ipſi Natura vacarit. Magna ſunt hæc, & IVONEM ſuprà cæteros mortales extollunt adeò, vt eũ, (quod propoſitũ fuit) Gigantē facilè probent. Maximus tamen, quo ferebatur, amor in Pauperes, vt Deo ſimilē facit IVONEM, ſic maximè dignum, cuius celſitudini quoquomodo deſcribendæ oſtenſus genitricis animo Gigas allaboraret. Dùm Paupertatem, quam primæuum hominis ſcelus in orbem inuexerat ſuſtulit Deus, exultauit vt Gigans, Gigas dicatur IVO, dum, quos aduerſa fortuna conflictabat ab innumeris calamitatibus fœliciter vindicauit.

FINIS.

BIBLIOTECA

FINE

Digitized by Google

Imprimatur , *ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.*

I. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd. Sac, Pal. Apoſt. Magiſt.

Digitized by Google

Digitized by Google